

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Anthropologia Anatomico-Physica

Baumer, Johann Wilhelm

Francofurti, 1784

VD18 11680695

Cap. XXVII. De encephalo & medulla spinali.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16622

§. III.

*Organo-
rum stru-
ctura.*

Ipsa autem organorum vasculorumque structura, elater, locus, canalium flexiones, ramorum fecernentium anguli, diversa vasculorum ostiola, ipsaque humorum in vasculis minimis retardatio secretionibus favent. Vid. *Dn. Jo. Petri Eberhardi* diss. duæ de mutationibus fluidorum a vasorum qualitibus in corpore humano dependentibus, Halæ Magd. MDCCLI.

§. III.

*Spéciales
secretiones
ex sangui-
ne.*

Seri arteriosi, salivæ, liquoris pancreatici, gastrici, intestinalis, pericardii, prostatici, lacrymarum, synoviae, spirituum animalium, feminis, lactis, pinguedinis, bilis, ceruminis aurium, materiæ perspirabilis, urinæ in sanguine, tamquam animali thesauro communi, latentium, secretiones in hunc censum veniunt.

CAP. XXVII.

De encephalo & medulla spinali.

§. I.

*Dura me-
ninx.*

Meningum externa, duplici membrana constans, dura meninx, *μίνιγξ*, vel dura mater, dicitur. Huius lamina exterior, periostei interni locum tenens, fibras & vasa per varia cranii foramina emittit, eorumque interventu cum pericranio firmiter cohæret; quæ igitur de eius motu

dicta sunt, fundamento carent, atque in infantum fontanella non nisi arteriarum pulsus sentitur. Lamina eius interior, in utroque latere descendens *processum falciformem*, cerebrum in duas hemisphaeras dividentem, *tentorium cerebelli*, cerebrum a cerebello dirimens, aliasque propagines v. c. ad sellae turcicae latera, atque ad utriusque fissurae sphenoidalis oras, efficit, quae, ne in ullo capitis situ, vel leviore concussione, lobus a lobo, vel cerebellum a cerebro, premanatur, impediunt. Idem encephali velamen varios maiores minoresque sinus, quorum mentio Cap. XV. §. 1. facta est, producit. Arterias a meningea, carotidibus ac vertebralis accipit. Venae eius arteriis fociae in sinus se exonerant. Nervis carens tendinea ac insensibilis est. Vid. *Jo. Frid. Lobsteinii* diff. de nervis durae matris, Argent. MDCCLXXII.

§. II.

Alterum encephali velamentum tunica *Arachnoidea*, *ἀραχνοειδής* a Varolio primum detecta, quae cerebri gyros atque cerebelli sulcos transgreditur. Hæc in superiore, non autem in inferiore, cerebri parte cum pia meninge arcte cohæret, atque in locis innumeris a vasis sanguiferis quidem perforatur, nullos autem ab illis ramulos accipit. Cum subiecta pia matre in superiore encephali parte tot fibris vasisque connata est, ut ab illa nullo modo illibata separari possit. Flatu per tubulum adacto pluribus quidem locis elevatur, mox autem iterum subsidet.

*Pia me-
ninx.*

§. III. Tertium encephali velamen pia meninx, vel pia mater, est, quæ cerebri ac cerebelli superficiem immediate ubique circumvestiens, atque in utriusque anfractus fissuras, gyros atque sulcos se demittens, tenera, mollis, vasculisque copiosissimis picta est. Arterias a carotidibus internis ac vertebralibus habet, quæ, innumeris anastomosis inter se iunctæ, in corticalem encephali substantiam fere omnes tendunt. A radiculis substantiæ ejusdem venosis venas suas accipit. Vid. *Frid. Ruyschii* epist. anat. VIII. tab. XV. *Jo. Wilh. Christiani Baumeri* diff. de meningibus Gießæ MDCCLXXV.

*Substantia
encephali
corticalis
ac medul-
laris.*

§. III. Cerebro, falce in duas hemisphæras, nec non in lobos binos anteriores, Sylvii fissura a mediis separatos fossisque baseos cranii incumbentes, medios a fossis laterilibus in dicta basi receptos, atque posteriores, a tertio suffultos diviso, ut & cerebello duplex *substantia* exterior, *corticalis* seu cinericea, atque interior albissima, seu medullaris, est. Illa vasorum sanguiferorum tenerrimorum congeries est, quæ materia ceracea impleta atque in aqua macerata, subtilissimi tomenti instar, tota vasculosa comparet. Hæc non solum encephali corticem constituit, sed etiam in interioribus quibusdam partibus v. c. corporibus striatis, cerebello, medulla oblon-

gata ac spinali reperitur. Ultimi vero arteriolarum ramuli nil rubri sanguinis, præ subtilitate, admittentes, sed purissimis tantum fluidis parentes, *medullasam* encephali *substantiam* produçunt, quæ tam ex cerebro, quam cerebello in medullam oblongatam, utrique subiacentem, atque encephali nervis principia præbentem, abit. Medullarem hanc substantiam etiam permulta vascula sanguifera transire, nudis oculis, maxime in laqueo suffocatis, discernere possumus. Ipsam vero substantiam medullarem ex fibris parallelis compositam esse, plura, in primis corporis callosi, striati, thalamorum nervorum opticorum, medullæ spinalis, ac cerebri piscium exempla admodum probabile faciunt. Fibræ eius etiam ex parte decussatim eunt; id quod in corporibus pyramidalibus, medullæ oblongatæ ac spinalis coniunctione, atque cerebro leniter cocto, microscopii ope, distinguere possumus; hinc una cerebri hemisphæra læsa, lateris alterius nervi resolvuntur. In hydrocephalo recens nati hemisphæria cerebri ab aquis expansa, atque fibras albicantes sero turgidas a basi ac medullæ spinalis trunco per totam cerebri compagem, ad corticem usque densissime distributas, atque in via multis vicibus, quoad ramos, invicem coniunctas, ac complicatas, *Christian. Vaterus* observavit. Vid. ephem. N. C. dec. III. A. VIII. obs. CLXVI. De cinerea cerebri substantia *C. F. Ludwigi* diff. Lips. MDCCLXXVIII. edita, & de utraque diff. sub præsidio meo

de encephalo Erfordiaë MDCCLXIII. habita, nec non *Alb. de Haller* icon. anat. fasc. VII. tab. III. *M. Gautier* anatomie de la tête en tableaux imprimés, qui représentent au naturel le cerveau sous différentes coupes, la distribution des vaisseaux dans toutes les parties de la tête, les organes des sens & une partie de la neurologie, à Paris 1748. *Henr. Ridley* anatomia cerebri, Lugd. B. MDCCL.

§. V.

*Encephali
motus.*

Motus cerebro ac cerebello proprius est, nec a dura meninge pendet; hac enim ablata, nihilominus perdurat, atque ab encephali venis pendere videtur, quæ, sub expiratione difficilius se exonerantes, adeoque intumescentes, illud attollunt; sub inspiratione vero sanguine facilius liberatæ aliqualem encephalo subsidentiam concedunt. Vid. *Memoires de l'Acad. R. des Sciences* 1749. p. 785. sur la cause de mouvemens du cerveau, qui paroissent dans l'homme & dans les animaux trepanés. *D. Walsdorfi* diff. de experimentis circa motum cerebri, cerebelli, duræ matris atque venarum in vivis animalibus institutis, Gœtt. MDCCXXXIII.

§. VI.

*Corpus cal-
losum,
septum
pellucidum
& fornix.*

Diductis cerebri hemisphæris, substantia medullaris albissima, basi sua ventriculorum anteriorum lacunar formans, corpus callosum, in conspectum prodit. Lineæ duæ tresve, in longum ductæ atque in eius

medio paullulum protuberantes, *chordæ* albæ *Lancisi* nominantur; reliquam eius superficiem fibræ transversales obsident, quibus cerebri hemisphæræ inter se copulantur. *Septum pellucidum*, inferiori corporis callosi superficiei accretum, ex duplici substantia medullari transparente, ac posterius anteriorisque cavitatem pia matre vestitam inter se continente, de cætero inter se concreta, constat, duosque ventriculos anteriores a se invicem seiungit. Sub hoc septo *fornix*, ex medullari substantia factus, latet, cuius pars anterior ex duobus cerebri hemisphæris duplici radice, mox coëunte, surgit, posterior vero etiam bifida, *crurum fornicis* vel *pedum Hippocampi* nomine veniens, atque in ventriculis anterioribus, valli instar, elevata, ad cranii basin figura lunata, plexu choroideo tecta, descendit, parvisque appendicibus digitatis, interdum vero parva cuspide, finitur. Sub fornice foramen, ad utrumque ventriculum anteriorem, quin & ad tertium, ducens, quod plexus choroideus permeat, obvium est. Pars medullaris inter posteriora fornicis crura, a se invicem recedentia, occurrens & striis transversis plerumque picta, *psalterium* dicitur.

§. VII.

Insignes cerebri cavitates *ventriculi* eius *ventriculi* nominantur. Duo *anteriores*, vel laterales, *anteriores*. reliquis maiores, ad utrumque septi pellucidi latus positi, forma lunari versus cranii basin curvantur. In fundo illorum ante-

reiore *corpore striata*, extus cinericea, in-
 tus utriusque substantiæ lineis variegata, la-
 tentia, magnamque crurum cerebri por-
 tionem constituentes, medullæ oblongatæ
 principium largiuntur. Præter plexum
 choroideum, quem continent, etiam va-
 scula sanguifera per illorum superficies du-
 cuntur, & seri paucum in sinu suo fovent.

§. VIII.

Ventricu-
 lus ter-
 tius.

Sub cruribus fornicis posterioribus,
 pone ventriculos anteriores *tertius*, minor,
 ab *anteriore cerebri commissura* incipiens, in-
 ter *nervorum opticorum thalamos*, rimæ in-
 star, usque ad *commissuram cerebri postero-
 rem* extensus, reperitur. Dictorum thala-
 morum superficies superior atque exterior
 partim cinerea, partim alba est, illique ad
 ventriculum tertium primo convexi spe-
 ctant, ac fornicem impositum recipiunt,
 dein rectis faciebus, quasi resectis, se con-
 tingentibus, haud raro, confuso utroque
 cortice, coalescunt. In huius ventriculi
 initio, sub anteriore cerebri commissura,
 foramen anterius, satis improprie vulva
 dictum, conspicitur, a quo *infundibulum*,
 vas rubicundum ex arachnoidea, pia me-
 ninge & cellulosa stipata factum, atque ar-
 teriolis pictum, inter nervos opticos de-
 currens ad *glandulam pituitariam* multas cel-
 lulas continentem fellæ turcicæ impositam,
 arterias a carotidibus nervos a paribus V &
 VI habentem, venasque ad sinus proximos
 ablegantem, pergit, illique serum ex dictis

ventriculis advehit. Vid. *Dn. Littve* dans les Memoires de l'Acad. Royale des Sciences 1707. p. 162. Rarius infundibulum impervium reperitur. Vid. *Dn. Jona Sidron* diff. de infundibulo cerebri, Upsal. MDCCLXXII. In eiusdem ventriculi fine, sub posteriore cerebri commissura, foramen posterius, non satis commode anus dictum, deprehenditur, a quo aquæductus Sylvii, sub testibus, in ventriculum quartum ducit. Flatu foramini huic immisso, pellucida substantiæ medullaris lamina, *valvula magna cerebri*, vel *Sylvii* dicta, elevatur, quæ, sublato processu vermiforme cerebelli anteriore, in conspectum prodit.

Schol. Jam ante Sylvium aquæductus ab Andrea Vesalio sequente modo descriptus fuit: meatus ex tertio cerebri ventriculo in quartum, sub cerebri natibus, tendit.

§. VIII.

Super ventriculi tertii foramen posterius *Glandula pinealis*, ex substantia duriuscula, corticali analogâ, intus porosa, constans, curvis albisque pedunculis suffulta, plexuque choroideo tecta, deprehenditur. Hæc, secundum *Jo. Frid. Meckelii* observationes, petiolorum medullarium ope cum nervorum opticorum thalamis, atque cum posteriore cerebri commissura, laminae medullaris interventu, cohæret. Pone hanc duæ protuberantiæ *nates* vulgo dictæ, atque sub his aliæ duæ minores,

N

nomine *testium* improprie venientes, cerebellum respiciunt, atque ab huius portione teguntur.

§. X.

Ventriculus IV.

Ventriculus quartus est sinus inter cerebellum ac subiectam medullam oblongatam a valvula cerebri usque ad medullæ spinalis initium extensus. Medium eius linea, in longum extensa, occupat, huius latera duæ minores claudunt; unde *calami scriptorii* denominatio est, cuius crena medullam spinalem in duas partes distinguit. Striæ albæ ex dicto sulco utrimque surgentes ad mollem paris acustici portionem abeunt.

§. XI.

Plexus choroideus.

Per omnes hos sinus, foraminum ope inter se connexos, membrana a pia meninge oriens, arteriolis venulisque miro modo contortis, ac serpentino tractu reptantibus, repletissima, *plexus choroideus*, extenditur; qui inter cerebellum ac corpus medullæ oblongatæ annulare ex ventriculo IV. in craniî basin protuberat. Ad illum formandum ramus a carotide interna, alius a circulo arterioso Willisii, atque tres ab arteria vertebrali, eiusque ramo profundo, venientes aliique piæ meningis ramuli concurrunt. Hydatidibus quandoque hinc inde obsidetur. Vid. *Frid. Ruyschii* epist. anat. tab. XV. fig. III. & thesaur. anat. VII. tab. I. fig. II. *Alb. de Haller* icon. anat. fasc. VII. tab. II. *M. Morand* observations anatomiques

sur quelques parties du cerveau, dans les Memoires de l'Academie Royale des Sciences 1744. p. 430.

§. XII.

Cerebellum, cerebro sexies fere minus, *Cerebellum.*
 figura globosa ac quodammodo depressa
 præditum, sub posterioris cerebri lobis, septoque duræ meningis transverso, medullæ oblongatæ incumbit, atque a foveis ossis occipitis recipitur. Substantia eius, ubique solida, ad cerebri analogiam, corticalis atque medullaris est; hoc tamen cum discrimine, ut illa maximam eius partem constituat, atque hæc, arbusculæ in modum, multis ramis in corticali se expandat. Superficies eius tunica arachnoidea ac pia matre, inter quas maximus vasorum numerus decurrit, involuta, in sulcos atque lamellas fere parallelas divisâ est, quæ in medio maximæ, & utrinque per gradus, tamquam circuli segmenta, sensim minores, in processu vermiformi anteriore ac posteriore, seu medio annulo duos cerebelli lobos coniungente, desinunt. Illorum anterior magnæ cerebri valvulæ sese applicat, & posterior ventriculi quarti exitum tegit. Rami medullaris substantiæ omnes in unum truncum coeunt, cuius portiones anteriores Sylvii valvulam formantes, medii ad protuberantiam medullæ oblongatæ annullarem descendentes, ac posteriores ad medullam spinalem abeuntes, pedunculorum vel crurum cerebelli anteriorum, mediorum ac

posteriorum nomine veniunt. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XVII. fig. II. & VII. *W. Comperi* anat. C. H. tab. X.

§. XIII.

Medulla oblongata.

Medulla oblongata, pia matre ac membrana arachnoidea circumdata, substantiæ medullaris cerebri ac cerebelli propagatio est, intus parum substantiæ corticalis continens, in caudicem quasi coalita, & usque ad magnum ossis occipitis foramen extensa. Ex illa encephali nervi atque medulla spinalis originem ducunt, & hanc ob causam *sensorium commune* nominatur. In anteriore inferioreque eius parte insignis quædam protuberantia, tenui incisura in duas partes laterales divisa, cernitur, quam *protuberantiam annularem Willisii*, seu *pontem Varolii* nominant. Vid. *Const. Varolii* tr. de nervis opticis nonnullisque aliis in humano capite observatis, Patavii MDLXXIII. & Francof. MDXCI. *Frid. Ruyschii* epist. problem. XII. tab. XV. Ab hac *medullæ oblongatæ crura* oriuntur, quorum anteriora, ad cerebrum ascendunt, nervorum opticorum thalamos constituunt, posteriora, versus cerebellum declinantia, cum huius pedunculis anterioribus ac mediis conveniunt. Ex medulla oblongata, inter protuberantiam annularem ac medullæ spinalis initium, quatuor parva corpora protuberant, quorum duo maiora, medium locum occupantia, *corpora pyramidalia*, duo minora, ad illorum latera externa posita, *olivaria* no-

minantur, quæ, ad calami scriptorii latera, in ventriculo quarto, etiam cerni queunt. Vid. *Evid. Ruyschii* epist. anat. XXI. tab. XIII. fig. III.

§. XIII.

Medullæ spinalis, oblongatæ continua- *Medulla spinalis.*
tio, a capite per osseum vertebrarum canalem, pingui humore intus oblitum, usque ad primas lumborum vertebrae extenditur, ubi una eminentia orbiculari nuda, vel duabus finitur, iuxta quam caudam equinam vel rectius bubulam, ex multis nervorum fasciculis constantem in os sacrum demittit. Substantia eius interior cinerea, ex meris vasculis sanguiferis composita, exterior vero medullaris est, huiusque tractus exteriores transversim positi sunt, interiores vero densissima serie recti decurrunt. Ope fissuræ anterioris in partem dextram ac sinistram dividitur. Altera quoque a tergo, tamquam calami scriptorii continuatio, deorsum ducitur. Præter ea cavea exigua intra mediam supremæ medullæ substantiam, secundum longitudinem, extensa est. Medullæ spinalis crassities, digitum circiter æquans, canalisi cavitati sese accommodat, atque in vertebrae colli ultimisque dorsi maior, quam in dorsi superioribus est. In collo antè planam, ad latera gibbam, in dorso autem magis quadratam deprehenditur. Vid. *W. Comperi* anat. C. H. tab. X. fo. fac. *Huberi* progr. de medulla spinali, Goett. MDCCXXXVIII. *Eiusdem* commentatio

de medulla spinali ac nervis ex ea provenientibus, cum adiunctis iconibus, *ibid.* MDCCXXXI. *Alb. de Haller* icon. anat. fasc. I. fig. I - III.

§. XV.

De eius vasis sanguiferis. Medullæ spinalis arteriæ ac venæ a vertebralibus, intercostalibus atque lumborum vasis sanguiferis sunt, quæ, circa vertebrarum latera ingredientes, miras intus anastomoses faciunt. Duo medullæ spinalis finus laterales, totam eius longitudinem legentes, acceptis a medulla spinali radiculis, anastomoses cum vena spinali anteriore ac posteriore nequentibus, ad vertebra singulas arcu semicirculari uniuntur, ac denique cum finibus occipitalibus ac iugularibus coniunguntur.

§. XVI.

Eius integumenta. Medullam spinalem multis vasculis exornatam, pia mater immediate amplectitur, atque in anteriorem eius sulcum demittitur. Hanc arachnoidea ac dura meninx laxè excipientes, nervis, ex medulla spinali prodeuntibus, vaginas faciunt. Sub durâ matre, ad omnium nervorum intervalla, *ligamentum denticulatum* superius dentibus brevissimis, inferius longissimis, gaudens, positum est, quod ex cranio, prope noni paris iter, exortum, triangularibus productionibus arachnoideam cum dura meninge, inter anteriores posterioresque nervorum fasciculos, usque ad primam lum-

borum vertebram coniungit. Vid. *Alb. de Haller* icon. anat. fasc. VII. tab. V. In infimo duræ matris sacco ligamenta tria, duo scilicet lateralia, ac unum medium, descendunt, quæ plana sua figura facile a cauda equina distinguuntur. Præter dicta involucra, osseus vertebrarum canalis alio adhuc integumento intrinsecus vestitus est.

§. XVII.

Tam encephali, quam medullæ spinæ ^{Encephali & med. spin. usus.} substantia medullaris nervis generandis, spiritibus animalibus fecernendis, omnibusque actionibus inde dependentibus procurandis, destinata est. Encephalo vel medulla spinali ex parte, vel in totum, compressis, quædam vel omnes actiones ab eorum nervis pendentes ex parte, vel in totum, minuuntur, aut cessant. Medullari encephali substantia irritata, per totum corpus convulsiones regnant. Ex encephalo inflammato phrenitis idiopathica oritur. Quæ omnia, post caussarum remotionem, cessant; nisi dictarum partium læsio relicta sit.

CAP. XXVIII.

De nervis encephali.

§. I.

Nervi sunt fasciculi medullosi, teretes ex ^{Nervi.} medullis oblongata ac spinali provenientes, membranis suis infra dicendis tecti,